# QUÆSTIO MEDICA,

*Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis undecimâ Januarii 1714.*

## M. JOANNE GELLY,

Doctore Medico, Præside.

An in morbis infrà diaphragma præstat saphenæ sectio?

I.

HOMO ex humo, totus à naturâ morbus, cujus finis ab ortu pendet, & ab utero tumulus. Ætas quidem succedit ætati, sed cunctis labitur temporibus; velis, nolis, ut in vitam, sic in mortem per vices itur laboriosas. Morborum, quorum corpus humanum est ludibrium, ingens numerus; partium ex quibus conflatur, indesinens alteratio; caloris humidum absorbentis continua decessio; humorum & excretorum necessariò putrescentium quotidiana colluvies, fatalem accersunt moriendi necessitatem: remediorum ad levationem tendentium seges quidem multa, sed spes sæpè vana, & tot renascentibus hydræ capitibus elidendis Hercules pauci. Omni igitur ætate omnes homines in morbos incidunt, quorum tot sunt genera diversa, quot sunt modi quibus deflectunt ab elatere solida, liquida à motu: undè inter affectus adeò discrepantes, alii celeritèr & cum vehementiâ sua percurrunt tempora; alii quàm diutissimè perstant; plures lethiferis sæviunt symptomatis; quidam suæ malignitatis velut conscii tanquàm angues latent in herbâ, vires, virus, exerturi; multi phreneticis concussionibus suas agunt sine lege tragœdias; non pauci cum syderato videntur obdormiscere, qui clàm jacentem trahunt ad interitum. Artis est Apollineæ periti morbum à morbo, partem à parte, remedium à remedio distinguere; urgentibus occurrere indicationibus, ex quibus agendi lex captanda, occasione semel inventâ, quæ cita est, ocyùs uti; assidentia symptomata ægrum ante tempus præfocatura præstanti remedio, si fieri potest, avertere, ut vita quæ brevis est & anxia, tàm angustis & incertis non definiatur terminis.

II.

UT neminem fata transmittunt, sic nulli parcit ætati morbus; neque suis duntaxat obnoxius vivit uteri latebris exclusus, sed nonnumquàm alienis, & ex parentum sæpè delictis pœnas immeritus

luit. Sic princeps animal in vitam tanquam in palæſtram ingreditur, periculoſam aggreditur navigationem, & eò magis periclitatur, quò major eſt ſolida inter ac fluida, humani corporis compagem componentia, diſſenſio: ſolida irrorantur fluidis, fluida reguntur ſolidis: in ſolidis deſideratur habilis textura, motus in fluidis reciprocus: à diſſoluto hocce jugi conſortio parantur inſidiæ multæ: in ſanguine obſervanda eſt rapiditas, pigrities, ex quibus cæteræ labes; prior particulas ejus ſuprà modùm evectas & actuoſas arguit, poſterior otioſas & involutas: illinc exuperat, tumultuatur, effervеſcit; hinc concreſcit, ſtagnat, vapeſcit; ex unâ parte concitatur orgaſmus; ex alterâ putredo; ſic fit triſtis morborum propagatio. Solidis ſua pariter inſunt errata; leviora, graviora, pro majori vel minori fibrarum extenſione, contractione; ex hoc duplici fonte, ſanguinis motu, vaſorum niſu diſparato, profluit morbus penè omnis: utrique medetur id genus auxilii, quod utriuſque cauſam antevertit, impedimenta removet.

III.

DIAPHRAGMA, liberæ reſpirationis inſtrumentum, Hippocrati flabellum ventris, propter diurnam ejus nocturnamve in inſpiratione depreſſionem, in expiratione supernè revulſionem, muſculus eſt; ſuâ ſpecie peculiaris, interjecti cujuſdam parietis inſtar abdomen à thorace diſcriminans; nec ipſe meliori luto fictus, nec levioribus quàm ſibi ſubjectæ partes, ærumnis addictus. Infimæ regionis hujus incolæ, ventriculus, Pancreas, Hepar, Lien, Meſenterium, Inteſtina, Renes, Veſica, Uterus, & alia nutritionis ac generationis inſtrumenta. Sed heu quàm multi eorum penates per fas & nefas ſubeunt infenſiſſimi cum ſuis ſatellitibus hoſpites, nauſea, vomitio, dolor, inflammatio, eroſio, ſitis, ructus, rugitus, inflatio, ſingultus, cholera, pica, malacia, canina fames, apepſia, bradypepſia, dyſpepſia, cardialgia, cachexia, atrophia, ſcirrus, hydrops, coli cruciatus, melancholica hypocondriaca cæliaca affectio, ileus, dyſenteria, diarrhæa, lienteria, teneſmus, lumbrici, aſcharides, ulcus, abſceſſus, phlegmone, hæmorrhois, fiſſura, condyloma, fiſtula, ani prolapſus, nephritis, calculus, gonorrhæa, diabetes, iſchuria, dyſuria, ſtranguria, mictio purulenta cruenta, hernia, mola, carcinoma, menſium ſtillicidium, profluvium, ſuppreſſio, fluor albus, furor uterinus, ſtrangulatus, convulſio, ſterilitas, abortus, hiſterica paſſio, pariendi difficultas, extinctio fœtûs in utero, &c. infelix hoſpitium, quod eſt veluti ſentina corporis, & cujns janua tot prædonibus patet. Verùm opifex & opifer Medicus, ſapiens Hippocratis imitator, partem affectam inveſtigat accuratiùs, & ad eam confugit opem quâ vicino malo ſæpiùs ſuccurrerit; nullâ interpoſitâ morâ viciniorem reſerat canalem, ne, vel mali mutatione in pejus, vel novæ cla-

dis acceſſione, periculum augeatur; Saphenam aperit, ut inſidioſæ gentis moliatur expulſionem, & hæc atria obſeſſione liberet.

IV.

SAPHENA vena eſt in pede ſuprà malleolum internum, cujus continuatio in tarſo; eſt ipſa venæ cruralis propago, ſicut iſchiadica, quæ reperitur in malleolo externo; ſed hæc propter arteriæ, nervi, & tendonum viciniam, raró nunc ſecatur, quemadmodum & poplitea, cujus tamen ſectio veteribus erat familiaris. Qui morborum infrà diaphragma ritè curationem inſtituere aggreditur, is ſi ad malleolum excurrentem aperit venam, viam detegit ad metam; qui tardiùs admittit, omittit, operam ludit, lædit; fallitur, fallit. Non tam intereſt quæ ſit ætas, quis ſexus, quæ regio, vel anni tempus; quàm quæ vires, quis morbus, quis morbi ſtatus, quæ ſtatio! ſi in vaſis abdominis deliteſcit ſanguinis; ſive copiâ, ſive fermento, ſive utroque turgeſcentis, pravitas; ſi incluſa putredo morbum facit, ſaphenæ ſectio alexiterium eſt ad manum præſentiſſimum, de melioribus optimum, de lectis probatiſſimum, nullâ ratione infenſum, nulli hominum generi nocivum, juvenibus ac ſenibus utile, prægnantibus etiam non inconveniens tempeſtivè & dogmaticè præſcriptum: ſi verò impuri ſucci congeries extrà venas ſtabuletur, putà in cavis hepatis, in pancreate, in meſenterio (quod Medicorum nutriculam vocant) panacea ſingularis. Hoc laxato ſalubri alveo latentes evolvuntur humores, evoluti præparantur, tenuiores craſſeſcunt, craſſiores attenuantur, attemperati liberiùs fluunt, coquuntur faciliùs, moventur utiliùs, excernuntur citiùs, & ad debitam fibrarum oſcillationem magis ac magis accommodantur: quòd ſi deflectitur ab hac methodo vel repugnantiâ ægrotantis, vel medentis ignaviâ, peccatur graviter: huic turpis eſt mollitudo, illi damnoſa cunctatio: ſi quid autem eſt peccati, emendat imperata, amandat iterata ſectio. Naturæ obtemperare unum eſt Medici munus, una ſalus ægrotantis.

V.

QUI ſalutarem naturæ motum intercipiunt, materiamque morbi effectricem exitum per inferiora quærentem non detrudunt, retrudunt in alveum, & noxiam noxiè retinent. Quemadmodum inſignis hæmorrhagia, abundans hæmorrhoidum fluxus, copioſum menſtruorum effluvium, uberior in magnis vulneribus cruoris ex parte læsâ ſcaturientis jactura graviſſimos ſæpè morbos diſcutiunt, & ab eorum inſultibus vindicant; ſic in affectibus ſubtèr diaphragma ſaphenæ ſectio liberalis, palmarium eſt auxilium; apertas tenet vias, impervias aperit, ducit quò natura vergit; curſum ſanguinis ita moderatur, ut rapidiori frœnum injiciat, tardiori ſtimulum addat, nimiam compeſcat fermentationem, imminutam acceleret, naturalem ab arteriis in

venas commeatum restituat. Solidorum paritèr tritum, tubulorumque elaterem sic regit, ut erigat, deprimat, donec in æquilibrio contineat. Sanguine igitur misso ex eâ parte quæ vicinior est laboranti, humores morbum committentes, propter imminutam vasorum plenitudinem, & auctam fibrarum elasticitatem, per propiores magisque convenientes ductus exitum sibi parant; tritam sequuntur viam, per quam magna pars colluviei ad intestina ubertìm per venas illabentis adimitur, cujus exclusio eò futura liberalior, quò major extiterit partis afflictæ laxitas, libertas meatuum amplior, fortior naturæ contentio. Hac arte non solùm de causâ morbificâ multùm detrahitur, febrile compescitur incendium, magnorum vasorum plenitudini prospicitur, inordinatus concitati humoris orgasmus sedatur; sed etiam dolorum acerbitas, inflammationum vehementia, imminentis hydropis labes, podagra, meri potûs aut desidis luxûs fœtura, hæmorrhoidalis vel dysenterici profluvii cruciatus, infarctus ventris contumaciores, totiusque abdominis turbæ non mediocres dissipantur. Hæc praxis non unius est sæculi, sed longioris ætatis, rectæ rationis, oculatæ experientiæ, quotidiani usûs assecla. Novæ quorumdam Medicorum hypotheses veterem Medicinam confirmant, non mutant. Itaque accinge gladio manum tuam, ô hæmophobe! Scalpellum acue, & saphenam tunde audacior; hoc ense districto hostiles copias venientes occupabis, præsentes fugabis, intrò furentes feries, intercipies, jugulabis. Sed (inquies) sanguis est vitæ thesaurus; quid ità, expende thesaurum, & vitam redime.

Ergo in morbis infrà diaphragma præstat saphenæ sectio.

Domini Doctores disputaturi.

| | | |
|---|---|---|
| *M. Ludovicus Lemery, è Regiâ Scientiarum Academiâ.* | *M. Carolus Thuillier.* | *M. Bertinus-Simon Dieuxivoye.* |
| *M. Petrus le Tonnelier.* | *M. Carolus Bompart.* | *M. Joannes Boudin, antiquus Facultatis Decanus, Regi à sanctioribus Consiliis, Medicus Regis perpetuò ordinarius, nec-non Serenissimorum Delphini & Delphinæ, dum viverent, Primarius.* |
| *M. Joannes Gaillard.* | *M. Nicolaus Andry, Consiliarius & Lector Regius, Scholarum Professor, nec-non Regius Librorum Censor.* | *M. Guido-Erasmus Emmerez.* |

Proponebat Parisiis PETRUS AFFORTY Parisinus, Baccal. Medicus. A. R. S. H. 1714.

Ex Typographia JACOBI QUILLAU, Typ. Jur. Lib. Universitatis, in via vulgò dicta *Galande*.